

Version latine n°3 : Catilina, discours d'un démagogue

« Ni uirtus fidesque uostra spectata mihi forent, nequiquam opportuna res cecidisset ; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent, neque ego per ignauiam aut uana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus uos cognoui fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrimum facinus incipere, simul quia uobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi : nam idem uelle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.

Sed ego quae mente agitaui, omnes iam antea diuorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero quae condicio uitae futura sit, nisi nosmet ipsi uindicamus in libertatem. Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae uestigiales esse, populi nationes stipendia pendere ; ceteri omnes, strenui boni, nobiles atque ignobiles, uolgas fuimus sine gratia, sine auctoritate, eis obnoxii quibus, si res publica ualeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, diuitiae apud illos sunt aut ubi illi uolunt ; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quoisque tandem patiemini, o fortissimi uiri ? Nonne emori per uirtutem praestat quam uitam miseram atque dishonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere ? Verum enim uero, pro deum atque hominum fidem, uictoria in manu nobis est. Viget aetas, animus ualet ; contra illis annis atque diuitiis omnia consenuerunt. Tantum modo incepto opus est ; cetera res expediet. [...]]

Quin igitur expurgescimini ? En illa, illa quam saepe optastis libertas ; praeterea diuitiae, decus, gloria in oculis sita sunt ; fortuna omnia ea uictoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea uos hortantur. Vel imperatore uel milite me utimini : neque animus neque corpus a uobis aberit. Haec ipsa, ut spero, uobiscum una consul agam, nisi forte me animus fallit et uos seruire magis quam imperare parati estis. »

Salluste